



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

**Parisiis, 1644**

Epistola XIX. Leonis Papae I. Ad Ivlianvm Episcopvm. Iuliani fidem  
commendat, & per legatos Flauiano scripsisse ait quid de catholica fide  
tenendum. sit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14584**

EPISTOLA XVII.  
LEONIS PAPÆ I.  
AD THEODOSIVM AVGVSTVM.

Scribit Synodo sibi interesse non licere: huic autem muneri legatos a se missos plene satisfacturos.

*Leo episcopus Theodosio semper Augusto.*

**A**CCEPTIS clementiæ vestræ literis. *Vide reliquum in Concilio Calchedonensi, parte 1. epist. 17.*

EPISTOLA XVIII.  
LEONIS PAPÆ I.  
AD PVLCHERIAM AVGVSTAM.

*Leo episcopus, Pulcheria Augustæ.*

**Q**UANTVM sibi fiduciæ de fide vestræ clementiæ ecclæsia Dei debeat polliceri. *Vide reliquum in Concilio Calchedonensi, parte 1. epist. II.*

Hæc eadē  
fere haben-  
tur, sed fu-  
sius, supra  
epist. 13.

EPISTOLA XIX.  
LEONIS PAPÆ I.  
AD IVLIANVM EPISCOPVM.

Iuliani fidem commendat, & per legatos Flauiano scripsisse ait quid de catholica fide tenendum sit.

*Leo episcopus, Iuliano episcopo, carissimo fratri.*

**L**ITERÆ dilectionis tuæ, quæ mihi nuper sunt redditæ, quam spirituali catholicae fidei vigeas amore, demonstrant: & multum gaudere me faciunt, quod in eadem sententia pia corda concurrunt, ut secundum doctrinam Spiritus sancti impleatur in nobis quod Apostolus ait: *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia:* cuius unitatis nimium se Eutyches facit extraneum, qui in sua peruersitate veterascit, nec adhuc, quibus vinculis a Domino sit obligatus, intelligit. Et quamquam sacerdo-

*Concil. Tom. 7.*

K

tem Domini reperiendum putat , qui eius imperitiæ a-  
mentiæque consentiat , diu apud nos incertum fuit , quid  
in ipso catholicis displiceret . Et cum fratri nostri Flauia-  
ni nullas literas sumeremus , ipse autem scriptis suis Ne-  
storianam hæresim repullulare quereretur ; non plene  
potuimus discere , vnde procederet , vel quo tenderet  
tam dolosa causatio . Sed postquam gestorum ad nos epi-  
scopium documenta perlata sunt , omnia illa , quæ fal-  
laciūm querelarum velamine tegebantur , quam essent  
detestanda , patuerunt . Et quia clementissimus impera-  
tor , pro benevolentia ac pietate animi sui , de statu huius ,  
qui ante honorabilis videbatur , diligentius voluit iudi-  
cari , atque ob hoc indicendum credidit episcopale Con-  
cilium , per fratres nostros Iulianum episcopum , & Re-  
natum presbyterum , sed & filium meum diaconem Hi-  
larium , & quos ex latere meo vice mea misi , ad fratrem  
nostrum Flavianum sufficientia pro qualitate causæ scri-  
pta direxi , quibus & vestra dilectio , & ecclesia vniuersa  
cognoscat , de antiqua & singulari fide , quam indoctus  
impugnator incessit , quid diuinitus traditum teneamus ,  
& quid incommutabiliter prædicemus . Quia tamen non  
debemus partes miserationis omittere , congrua modera-  
tione credidimus fanciendum , vt si condemnatus presby-  
ter plena satisfactione corrigitur , sententia , qua obstrictus  
est , relaxetur . Si vero in eodem insipientiæ suæ luto iacere  
delegerit , statuta permaneant , & cum eis habeat sortem ,  
quorum est secutus errorem . Data Idibus Iunii , Asterio  
& Protogene viris clarissimis consulibus .

## EPISTOLA XX.

## LEONIS PAPÆ I.

AD FLAVIANVM EPISCOVVM.

Catholicum incarnationis dogma contra Eutychen de-  
fendendum : ipsi , si resipuerit , indulgendum monet .

*Flauiano dilectissimo fratri , Leo episcopus .*

**P**ROFECTIS iam nostris , quos ad vos in fidei causa  
direximus , per filium nostrum Basiliūm diaconem  
scripta tuæ dilectionis accepimus , quibus merito pa-